



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Sententia affirmans proponitur & autoritate philosophorum
melioris notæ, nec non etiam Ecclesiæ Patrum refellitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

dictu est, nulloque modo satisfacit. nam ideo partes lineæ vnius permanentis magis inter se distare possunt, quam partes alterius, quia, licet puncta lineæ permanentis iuxta aduersarios potentialia sint, & non habeant vibrationes actuales, & fixas quibus intrinsece distare possint; ceterum continentur actu intra duo puncta actualia, & fixa, à quorum maiori distantia extrinsece magis inter se distare valent. At hæc ratio non militat in motu successivo: quippe, cuius partes actu inter duo puncta fixa, & actualia non continentur, eo quod initium, & finis motus non coexistant, sicut initium, & finis lineæ permanentis sunt simul existentia. Nequaquam ergo erit, cur partes vnius motus magis inter se distent, quam partes alterius: quo enim pacto partes motus localis loco distare, locique spatium occupare possunt per denominationem extrinsecam à termino, qui non existit, sed tantum extitit in loco? aut quid refert, partes illas, si diuinitus coexistere, maiorem distantiam habituras, ad hoc, vt actu, & absolute eam habeant?

TRACTATUS VI.

An corpus naturale solis indivisibilis finitis, physice quidem talibus, sed mathematicè diuisibilibus continetur.

CAPVT PRIMVM.

Sententia affirmans proponitur, & auctoritate Philosophorum melioris notæ, necnon etiam Ecclesiæ Patrum refellitur.



GELEBRIS est his annis inter aliquos Philosophiæ præceptores sententia constitutus continuum ex punctis, finitis quidem, sed tamen inflatis quæ vocant, hoc est ita physice, & formaliter impartibilibus, vt sint Mathematicè ac virtualiter diuisibilia, & perinde extensa quoad locum, ac si partes realiter distinctas, & non penetratas occuparent. Quoniam autem aliqui huius sententiæ patroni à nouitate eam cõmendant; quippe, inquit, quæ, si antiquior esset, cæteras in hac controuersia opiniones antiquasset, ac sola ab Aristotele ipso, & cæteris Philosophis reciperetur: idcirco placet, eius originem paulò accuratius examinare, ac clarissime ostendere, illam antiquissimam esse, ac per consequens non propterea non inualuisse in scholis, quod serò fuerit adinueta, sed potius ob id à scholis iam olim esse ablegatam, quod longè minus probabilis per se sit, quam Aristotelica, & communior opinio à nobis tract. sequenti explicanda, & probanda: tantum abest, vt adeo facilis, & clara sit, ac aduersarij existimant.

Institutum suadetur: quia, tametsi Leucippus, Democritus, Epicurus, & huius sectatores ab aliquibus referantur pro sententia, quam tract. præcedenti c. 1. & sequentibus reieci; at certè verius est, priscos hos Philosophos docuisse, continuum componi ex punctis finitis physice impartibilibus, ac Mathematicè seu virtualiter diuisibilibus, & extensis. Atque in primis iuxta eos continuum constitui ex punctis ad minimum physice indivisibilibus, est perspicuum. Namque de Leucippo in eius vita sic ait Laërtius; *primus hic atomos principia subiecit*. De Democrito in eius etiam vita sic inquit; *Sunt autem quæ ille opinatus est ista,*

principia omnium rerum esse atomos, atque inane, &c. Locis etiã inferius citandis similia refert de Epicuro: ex cuius mente eius affecta Lucretius lib. 1. de rerum nat. sic loquitur.

Tum porro, quoniam extremum cuiusque cacumen Corporis est aliquid, nostri quod cernere sensus iam nequeunt: id nimirum sine partibus extat: Et minima constat natura.

Et quidem Epicurum id censuisse testatur etiam Manilius Astronom. lib. 1. c. 5. ibi

Ac mihi tam præsens ratio non vlla videtur, Qua pateat mundum diuino numine verti: Atque ipsum esse Deum, nec forte coisse magistra, Vt voluit credi, qui primus mentia mundi Seminibus struxit minimis, inque illa resoluit, Aequa & maria & terras, & sidera mundi.

Quasi innueret, Epicurum qui sanè inter antiquos philosophos præcipuus prouidentiam numinis de medio fustulit, fortèque ac casu omnia geni censuit, & summum in voluptate bonum constituit, hunc inquam, corpora omnia ex indivisibilibus siue atomis minimisque seminibus primum struxisse. Quanquam, quod attinet ad primitatem, fallitur Manilius: verius enim est, quod docent Laërtius, Cicero & alij, non Epicurum, sed Leucippum fuisse primum Authorem atomorum, siue punctorum indivisibilium.

Quod autem eiusmodi puncta, continuum constituentia, sint, iuxta præfatos Philosophos, inflata, siue tumida, aut quoad locum extensa, ostenditur. Siquidem nihil potest habere figuram v. g. rotundam, quadratam, aliãve aliquam, sine extensione quoad locum: quare si antiqui illi Philosophi punctis, siue atomis suis figuram attribuebant, sanè hoc ipso ea quoad loci spatium extensa non poterant non censere. At quod atomis suis, siue corpusculis indiuiduis figuram assignauerint, testes sunt Arist. lib. 3. de Cælo tex. 37. & primo de generat. tex. 5. & Plutarchus in 1. de Placitis Philosophorum ac noster Perer. lib. 4. phys. c. 9. Id ipsum testatur Cic. lib. 1. de natura Deorum his verbis: *Ista enim flagitia Democriti, siue etiam ante Leucippi, esse corpuscula, quædã lenia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curuata quadam, & quasi adunca: ex his effectum esse Cælum, atque terras, &c.*

Idem denique testatur Laërtius. Apud eum enim docet Leucippus, multa corpora (minima scilicet, & indivisibilia, de quibus loquitur) figuris omnigena in magnum vacuum ferri, eaque in vnum coacta vnã vertiginem efficere secum, quam offendere, ac circumuolui modis omnibus, atque ita discerni, vt seorsim similia quæ sunt sui similia perant. Apud eundem etiam docet Democritus, atomos, & magnitudine, & numero esse infinitos, ferrique in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere, ignem, aquam, aërem, terram: quippe, & hæc ex atomis quibusdam constare, esseque passioni, & immutationi ob firmitatem, ac soliditatem minime obnoxia: Solem item, & Lunam ex huiusmodi vertiginibus, tumorumque circumferentijs esse compositam. Vbi pendet particulã illam, tumorumque circumferentijs: quæ enim potest intelligi tumor sine figura aliqua? Ac profecto quod puncta sua Democritus tumores appellauerit; satis arguit, eum non solum re ipsa sententiam docuisse neotericorum, sed ne verbis quidem ab iis discrepasse: vt pote quorum non paucis celeberrime est, puncta sua nunc inflata, & nunc etiã tumida appellare. Quid plura? Apud eundem Laërtius Epicurus sic inquit: *Indiuidua corpora, & ac plena, ex quibus, & concretiones sunt, & in quæ dissoluntur, incomprehensibilia sunt figurarum differetia*. Ex quibus patet, Epic. atomis suis attribuisse figurã, sicut oportet, vt sint extensa quoad

quoad locum. Ac certè nisi talia iuxta illum essent; quorum eas vocaret corpora? quod enim nullam habent extensionem formalem, aut virtutalem, spatiumve loci extensum non occupat, id equidem corpus non est, nec corpus aptè dici potest, ut certo certius? quorum item easdem atomos appellaret corpora plena, si non sunt vllatenus extensa, cum plenitudo extensionem aliquam sonet, ac præ se ferat. Huc facit quod de eodem Epicuro paulò infra subiicit Læc-
tius: ait autem (supple Epicurus) intrinsecus neque vllam circa atomos inesse aequalitatem, præter figuram, & magnitudinem, & gravitatem. Mille alia id genus apud Læc-
tium, & alios legi possunt, quæ hic brevitatis causa omitto.

- 5 Ad extremum, quod puncta illa tumida, non infinita, sed potius numero finita, in quouis particulari continuo posuerint Philosophi citati, eorumque assen-
sus, planum est: quia, ne partes infinitas concederent in continuo, puncta supradicta adstruxerunt: haud ergo ea potuerunt infinita numero adstruere. Id autem patet ex his quæ scribit Lucretius lib. 1. de re-
rum natura

Præterea, nisi erit minimum, parvissima quaque Corpora constabunt ex partibus infinitis:

Quippe, ubi dimidia partis pars semper habebit Dimidiam partem, nec res præstaret vlla, &c.

Cui quoniam ratio reclamatur vera: negatque Credere posse animum: victus fatere necesse est, Esse ea, quæ nullis iam prædita partibus extent.

- 6 Nec refert, quod multoties dicant, atomos esse numero infinitas, ut patet ex verbis supra de Democrito relatis ex Læc-
tio, necnon ex iis, quæ de Epicuro & Leucippo tum ipse tum etiam alij referunt. Siquidem loquuntur de atomis, non cuiusvis continui particularis, sed de iis, quibus constat vniuersitas rerum existens, & infinitos mundos iuxta eos complectens: ut & ex eorum placitis attentè perceptis euidenter constabit, necnon etiam ex eo, quod dicant atomos esse non tantum numero, sed etiam magnitudine infinitas, quod, de atomis vilius continui particularis, quis sanæ mentis possit interpretari? Verum, ut omnis dubitationi locus præcludatur, en quæ de Epicuro refert Læc-
tius in eius vita: neque enim, ait, (supple Epicurus) interius in infinitum sectionem esse.

- 7 Atque hæc sit prima sententia, quæ de agimus, impugnat: scilicet meliores antiquitatis Philosophos eam reieciisse, nec ferè aliis nisi Epicureorum gregi olim placuisse. Impugnatur etiam autoritate Patrum orthodoxorum: quippe, qui passim eam reiciunt. Quinque tantum producam, cæteris breuitatis causa prætermittis. Primus esto Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. ubi sic inquit: Principia ponunt indiuidua, Philosophia nomen suscipientes, impij quidem homin-
culi, & voluptati dediti: id est antiqui Epicurei. Alter esto Gregor. Nazianzenus orat. 34. ubi probans, Deum esse incorporeum sic ait: aut corpus in corporibus erit (supple Deus) id quod fieri non potest: aut implicabitur, aut opponetur, quemadmodum ea, quæ liquiditate prædita sunt, inter se miscentur; atque alia secabit, & ab alijs rursus secabitur: quod ipsi etiam Epicuri atomis absurdum est; & anilius. Pende hæc postrema verba.

- 8 Tertium aduersus eandem opinionem produco D. Basilium homil. 1. in Hexam. ibi: E diuerso alij minutissima quadam, & imparvilia corpora, moles item, ac meatus naturam continere omnium, quæ oculis quaquaversum subiacent, recordi imaginatione delusi astruxerunt. Opinati enim sunt nunc quidem illis insectilibus corpuseculis inter se coalescentibus, & agglu-
R. P. Lincei Richardi Philosophia, Tom. II.

tinatis, nunc contra eisdem disparitatis à se ac sejun-
ctis generationes fieri rerum, & corruptiones; simul & tenaciorem atomorum inter se complicationem causam præbere diuturnioris persistentiæ longissimè duraturis corporibus. Prorsus istius generis scriptores, quid aliud dicas, quam stamen flaccidum araneolis pertexere, dum pertennes adeò comminiscuntur rerum causas; dum cæli, terra, marisque principia supponunt nusiàm consi-
stentia. Hactenus ille: quod autem disserat aduersus puncta non quæcunque, sed inflata, constat vel ex eo quod citentur ad marginem Leucippus, & Democri-
tus, quos & post eos Epicurum auctores fuisse pun-
ctorum non qualiumcunque, sed eorum quæ dicuntur inflata, paulo superius ostendi.

Quartum contra eam sententiam expendo Augu-
stinum in lib. de immortalit. animæ cap. 7. ubi sic in-
quit: Omnis enim pars quæ remanet, corpus est, & quid-
quid hoc est, quantumlibet spatio locum occupat: neque id posset, nisi haberet partes in quas identidem caderetur. Tum sic: punctum inflatum est corpus quoddam licet exiguum, cum plures partes loci occupet, iisque coextendatur: nullas item habet in se partes, in quas cadatur: aut ergo falsum est quod ait Augustinus, omne corpus locum occupans quantumlibet, habere partes, in quas possit cædi, ac diuidi; aut falsa eorum sententia, qui adstruunt, puncta inflata in continuo. Inferius etiam eodem libro. cap. 16. ita prosequitur Augu-
stus. Moles quippe omnis, quæ occupat locum, non est in singulis suis partibus tota, sed in omnibus: quare alia pars eius alibi est, & alibi alia. Iuxta Augustinum ergò commentitium est punctum omne infla-
tum; quippe quod moles quædam est, etsi parua, quæ tota est, ubi sunt singulæ eius partes, & quæ non habet alibi vnâ partem, & alibi aliam.

Quintum denique oppono contra eandem sen-
tiam, Claudianum Mamert. lib. 1. de stat. animæ c. 17. Omne porro corpus quamlibet magnum, quamlibet paruum, secari profectò potest, quod idcirco illi accidit, quia partibus constat: nam quicquid partem habet, potest vtrique diuidi, quia pars potest à parte diuelli. Et infra lib. 3. cap. 4. ibi; qualibet ergo terra pars magna vel minima, ut lapillus exiguus, vel minutissimus pul-
uisculus, qui puncto visibili contingi nequeunt, habent & mensuram pro modulo sui, & numerum pro ratione partium, quibus distant superiora ab inferioribus, dex-
tera à sinistris, à posterioribus priora. Hæc B. Clau-
dian. quæ nescio quomodo vera esse possint, si verum est quod aiunt aduersarij, continuum componi ex corporibus parvis & impartibilibus, siue punctis in-
flatis.

Non me latet, ei subscripsisse sententiæ, imò ex re-
centioribus primum eius patronum fuisse contra-
neum meum, ac Societatis nostræ Theologum P. Ste-
phanum Murti virum admirabili ac propè diuino in-
genio præditum, priscisque illis scholarum luminibus parem: sed ah, non sine maximo rei litterariæ damno, in ipso ætatis flore, orbi & Ecclesiæ ereptum. Nescius etiam non sum post tantum ducem eandem sequutos esse sententiam Salmanticenses quosdam à P. Bartho-
lomeo Amico in præfenti relatos; necnon alios Neo-
tericos, in Hispania, Germania & Italia. Cæterum hi omnes paucissimi sunt, præ alijs, qui hoc etiam tempore eum opinandi modum reiciunt; nec minus pauci, si senatum illum spectes antiquorum Philoso-
phorum, ac Patrum, eandem excucantium opinio-
nem. Verum rationibus contra eam agamus.